

ciis sequebatur, homo præter rei maritimæ peritiam, vehementi & acri ingenio, suos hortatus jubet illos adhuc bene sperare; ac sub obscuram noctem converso cursu, sine remorum impulsu cœpit retro in hostem paulatim annavigare: a quo (non enim omnino falli potuit) pluribus tormentorum iactibus petitus, paucis per noctem amissis, præter spem omnium ad suos rediit.

Æstate illa, qua hæc gesta sunt, Pius Pontifex suam in Turcos expeditionem, jam antea Mantuano conventu motam, Principumque quorundam ambitione & avaritia intermissam, ad exitum perducere conatus. Etenim quamquam ex sociis quos novissime sibi asciverat, omnes præter Venetos cessare videbat; nihilominus ipse ad profectiōnem spectans, Anconem progressus est. Magna vis hominum ex Gallis & utraque Germania ad famam piæ expeditionis Romam ante ejus digressum confluxerat: sed per Sabinos, Umbros, & Picenos eunti, omnino major occurrit. Horum non parvam partem, concessa peccatorum venia (quia sine viatico venissent, & quia parum idonei gerendo bello viderentur) in patriam remisit. Affuit illi hic sedenti Christophorus Maurus Princeps cum decem triremibus optime ad bellum instructis, ut Veneti per partes bellum juvarent: post cujus accessum Pius lenta febri non nihil antea conflictatus, biduo vita deceſſit. Aurum omnino exiguum ad tantum belli onus, quod ille contraxerat, Cardinalium decreto, Mauro datum his conditionibus, ut Matthiae Pannoniæ Regi assiduum cum Turcis bellum gerenti stipendium mitteret. Ferunt quinque & quadraginta aureorum nummum millia fuisse: verum non solum id aurum Venetus illi deferendum curavit, sed pluribus etiam annis ei amplum ex suo stipendium misit, ut Turcorum motus in Dalmatiam & Histriam irrumpere parantium, armis remoraretur. Post Pii interitum, tanti belli onus soli Veneti suis viribus multis deinceps annis sustinuere, non Italia solum, sed omnibus Europæ gentibus, eos terra marique cum eo hoste, qui duo potentissima imperia, multa regna evertisset, armis disceptantes secure & ocioſe spe-

*Expedition
in Turcos
Pii Pontificis.*

Ejus mors.

*Stipendium
Pannoniæ
Regi publico
nomine a
Christianis
decretum.*